DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CATAMENIIS;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROGERUS GREEN,

HIBERNUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXVI.

JOANNI WOODROFFE, M.D.

ART. BACC. TRIN. COLL. DUB.

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM IN HIBERNIA

LICENTIATO,

DE ANATOMIA ET CHIRURGIA

APUD CORCAGENSES

PRÆLECTORI,

HOC OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

DEDICAT

DISCIPULUS

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CATAMENIIS.

In naturam causasque fluxûs menstrui, oculos philosophi suos a temporibus abhinc admodum remotis intenderunt; neque tamen earum ratio plena adhuc usque reddita est. Compaginem feminarum universam, circa ætatem puberem, quasdam mutationes, unde corporis organa diversa, quæ præcipue generationi inserviunt, ad munera propria peragenda melius aptantur, subire bene notum est.

Sub idem fere tempus quoque, fluxus humoris cujusdam sanguinei instat, cui, ob reditum

post spatia temporis menstrua certum, "Menses" seu "Catamenia," Gallicè autem "Les Regles" nomen imponitur; qui porro ex utero cujusque sanæ, quæ non uterum gestat, donec ipsa vetula fiat, intervallis plerumque sibi paribus effluere pergit. Fluxus profecto haud absimilis, a mulieribus nonnullis, inter utero-gestationem editus est; quando tamen res se ita, femina gravida facta, habet, humorem effluxurum vagina præbet a Catameniis sanioribus facile discernendum; et ràro inter lactationem talis fluor evenit, nisi ista diutius æquo provecta fuerit, lacte plerumque simul tenui et inhabili facto.

Inter gentes hominum feminis, hic fluor nusquam non est; cunctaque animalia, dum salacia, sive ad fœtum gignendum apta sunt, humorem mensibus similem natura, vel fortasse parem usu edunt: hic inter plurima mucosus extat, sed nonnullis in regionibus calidis sanguineus evadit.

Graviditas semper huic secretioni moram facit. Ætas unde menstrua incipiunt, pro ratione cœli, puellæque constitutionis, temperamenti, generisque vivendi, diversa est. Exem-

pla decantantur fere infantium, et vetularum, quæ per vaginam humorem quendam pluribus temporibus effudere; hæc verò pro effectibus secretionis potius morbosæ quam naturalis habere oportet. Tanta vi cælum in hoc fluxu educendo pollere constat, ut quò soli calidiori regio quævis subjacet, eo citius humorem esse profluxurum, eoque citius profluere desiturum, perpetuum haberi possit. Sub cælo tropico puellulæ annos octo, novem, vel decem natæ menses edere incipiunt; in regionibus autem septentrionalibus profluvium ad annum ætatis vigesimum, vel vigesimum primum se prodere moratur. In Britannia idem annos decimum quartum inter et decimum octavum effluere incipiens, quadragesimum inter et quinquagesimum desinit.

Ætate pubere virgo conditionem vitæ quasi novam omnino ingreditur. Vultus aspectu alacriori accenditur, vox suaviora sonat, incessus quam antea elegantior, motusque omnes venustiores fiunt. Uterus se evolvere incipit, et sibi brevi formam naturalem induit. Pelvis ampliatur, mammæ citò pullulant, mensque

ipsa viribus novis instrui, motusque ferventiores et insolitos suscipere incipit. In quibusdam, nulla præter solitum valetudo menstrua primo effluxura statim antecedit; secretioque compagine generali parum laborante, rectè consistit; in pluribus, e contrario, cruorem revèra menstruum, humor serosus et albidus præcedit. Indicia graviora leniorave sanguinis in vasis hypogastricis aggesti, veluti dolor lumbos et circa pelvim infestans, lassitudo cum sensu artuum inferiorum molesto, capitis ægritudo, facies erubescens, aliæque generis nervosi et hysterici affectiones premunt. Mammæ magis tenduntur, et areola utriusque colore fusciore imbuitur; pruritus circa labia cum micturitione quadam instat. Hæc plerumque sponte abeunt, postea tamen graviora, et cum dolore haud parvo, pulsuque celeri et valido, reditura; donec primò serum sanguinolentum elabatur, deinde cruor sincerior citius tardiusve e vulvâ effundatur. Effusione progrediente, dolor paulatim levatur; inflammationis circa uterum indicia, prout humorum ad illud organon versus derivatio minuitur, decedunt; pulsus minus vehementer

micat, humorque serosus cruorem effusum excipit. Debilitatis signa, oculo simul quasi excavato, atque circulo livido ambito, jam subeunt. Primæ effusioni fere succedit plurium mensium intervallum, quod denique paulatim ad spatium mensis solaris redigitur; adeo ut feminæ valetudine integra utenti, menstrua, per complures deinceps annos, die mensis eodem, usque redire possint.

Copia humoris eliminati feminis diversis, neque raro iisdem, temporibus diversis, variat; sæpissimè vèro uncias a quatuor ad octo, in regionibus calidis a duodecim ad sexdecim, in frigidis ab unâ ad tres, præstat. Diuturnitas profluvii cujusque pro cœlo diverso, moribusque feminæ discrepat; raro tamen ante diem tertium finitur, aut post octavum perstat. Hic fluor, sine causa morbosa finitus, signum extat unicum, unde mulieres se concepisse pro certo nôrunt.

Senectute adventante, menses fluere desinunt: tempus autem accuratum quo hoc accidit, prout isti serius vel citius primo inceperint, deducendum est. Anno ætatis circiter qua-

dragesimo, paulo fortasse ante vel post, Catamenia ab intervallis regularibus aberrant; et ante annum quinquagesimum profluvia erumpunt solito magis copiosa, quæ intervalla pari modo longiora subsequuntur; jam nunc plerumque ad terminum ultimum proveniunt, et simul sterilitas senilis subsequitur. In illis si quibus anno circiter decimo aut duodecimo primò institerunt, menses haud raro ante quadragesimum finiuntur; sin autem non ante annum decimum sextum, vel decimum octavum in conspectum provenere, post annum quinquagesimum perstare possunt. In insulis Britannicis tempus desinendi plerumque annis quadragesimo quarto et quadragesimo octavo intercedit. Hâc lege de mensium diuturnitate latâ, prolem gignendi facultas vitæ parti valentissimæ solùm, cunctis orbis terrarum regionibus contingit.

Hujus humoris qualitates manifestæ dotes sanguinis veri tàntum referunt, ut inter plurimos sanguis haberi et appellari soleat. Hoc autem inter humores illos insignitèr distat, catamenia scilicet, quippe quæ fibrinam habeant

nullam, cogi nequire. Coagula profectò nonnunquam videntur, hæc autem menstrua malè sana indicare æstimantur, quoniam siquando secretio ægrè et cum dolore absolvitur, conspicienda occurrunt. In aliis humor elabens insignitèr olet, in aliis odore caret.

Mutatio quam uterus, catameniis urgentibus, subit, facie ejus mucosa molliore facta, maculasque sanguineas cum foraminulis frequentibus ostentante, satis argumenti, quare secretionem ab eo organo peragi credamus, extare videtur. Cruor menstruus in utero repertus, atque fluxus ejusdem repressus ob hujus conditiones nonnullas morbosas, et graviditatem, opinionem illam præterea comprobant; at veram esse omnino, ab exemplis prolapsûs uteri pro certo ponitur.

Conjecturæ diversæ, quæ hujus functionis rationem redderent, subinde prolatæ sunt; neque singulis profecto sui auctores defuere. Nonnulli eam fermento cuidam partium istarum vasorum motum intestinum cienti tribuerunt; qui huic opinioni faveant, hodie nulli inveniuntur. Alii porro eam Lunæ potestati re-

jecerunt, quia, nimirum tempora menstrua et lunaria a se invicem haud ita multum abhorrent; sat verò rationis est, cur hæc sententia abjiciatur, si, nullum esse mensis diem quin plures menses edere incipiant vel desinant, in memoriam revocetur.

Plethora quoque generalis quasi causa prolata est. Sed jacturam sanguinis e brachio, parteve corporis aliaquavis, mensibus vel instantibus vel etiam fluentibus, eorum copiæ bis vel amplius adæquatur, neque catameniis adventuris officere, neque eadem jam elabentia sistere, bene constat; et in morbis obstructione ortis, plus levaminis a paucis guttulis utero ipso expressis, quam a copia decies ampliori aliundè corporis educta percipitur. Huic commento porro objiciendum putetur, quòd debiles et exhaustæ sæpe, quàm validæ et robustæ, quarum vasa plus sanguinis evidenter vehunt, cruorem menstruum copiosius effundant; quinetiam, uncias sanguinis quinque vel sex, (copiam scilicet plerumque effusam) ad vasa omnia nimis distenta exoneranda sufficere admodum absimile est; precipue quoniam dies tres vel quatuor

antequam hæc copia exigua effluxerit, absumuntur.

Sententia, quæ menstrua congestioni seu distensioni locali arteriarum uteri rejicit, primò a Doctore SIMSON in medium probata fuit, et a plurimis Physiologis nominis haud parvi adhibita est; inter alios ab illo CULLENO celeberrimo, qui talia habet.* "I suppose then, that in consequence of the gradual evolution of the system at a certain period of life, the vessels of the uterus are dilated and filled; and that by this congestion these vessels are stimulated to a stronger action, by which their extremities are forced open and pour out blood. According to this idea it will appear, that I suppose the menstrual discharge to be upon the footing of an active hemorrhage, which by the laws of the economy is disposed to return after a certain interval, and which after some repetition may, by the power of habit, be determined to return at regular periods." Qui hanc opinionem tu-

* Vide Cullen's Mat. Med. vol. ii. ad p. 587.

entur, argumenta, qualia infra sunt, adhibent. Copiam, scilicet, sanguinis pro rata parte minorem ætate pubere ad artus inferiores deferri; quippe qui formam suam et molem idoneam jam adepti sunt; vasa enim partium istarum jam rigidiora facta distensionem ulteriorem haud ita facile patiuntur. Venas juniorum tunicis crassioribus et firmioribus instrui, et in utero valvulis carere; nullam igitur compaginis universæ esse ubi congestio facilius accidere possit; uterumque recèns evolutum fluidis imprementibus jam facilius cedere. Dolor lumbos regionemque uterinam infestans item ut alterum Plethoræ localis argumentum adducitur. Contra hæc argumenta dicitur, bene notum esse, Catamenia accedere, et temporibus idoneis fluere perstare, aliquamdiu antequam incrementum artuum inferiorum perfectum fuerit; doloremque lumbos regionemque uterinam infestantem sæpe sponte decedere, etiamsi nihil vasis uterinis effluxerit.

Catamenia secretum humorem esse, ut hódie opinio latissimè accepta, ita maxime verisimilis videtur. Structura uteri glandularum fabricam

refert, et aspectus dotesque humoris menstrui a sanguine mero mùltum discrepat. Doctor Denman quoddam insigne in hoc processu annotavit, actioni vasorum uteri secernenti haud dubio referendum, eliminationem, scilicet, rei membranosæ cavi uteri figuram retinentis, et membranæ deciduæ simillimæ. Hanc a nuptis innuptisque pariter editam reperit, et ubi non fieri potest, quin sine coitu fabricata fuisset.

Postremò, summa scientia de hac re totius talis esse videtur; Catamenia secerni, sed qua machinatione secretio efficiatur, nos nihil amplius quam de ceteris secretionibus, novisse. Processum illum, quippe qui vice suâ inter actiones uteri sanas fungatur, ad illud organon, ut fœtum suscipiat aptum præstandum necessarium esse liquet.

Quoniam salus incolumitasque feminarum, reditu fluxûs regulari, tum quod ad frequentiam, tum quod ad humoris ipsius copiam attinet, magna ex parte, inniti videntur; eum languentem promovere, ex toto cohibitum restituere, et eundem vel sæpius vel copiosius æquo effluentem compescere oportet. Quando

supprimitur, Natura ut exitum quemlibet ei aperiat, conatur. His conaminibus, si deficiant, morbi pulmonum, affectiones spasmodicæ, hysteria, epilepsia, mania, apoplexia, hoc vitium denique vel illud, pro habitu generali et indole ægræ, supervenire queant. Menses obstructi in duas species redigantur: ubi fluxus ad initium cohibetur, Chlorosis, ubi vero, postquam inceperit supprimitur Amenorrhœa appellatur. Causæ quas suppressio mensium agnoscit, suum effectum, constrictionem vasis extremis inducendo, præstare videntur; hujusmodi sunt frigus, pathemata mentis deprimentia, vita otiosa et deses &c. Quicquid ad robur universi corporis minuendum, aut ad organa concoctioni inservientia turbanda confert, tempore quo menses incipiunt, indolem chloroticam arcessere valet. Hæc quoque nonnunquam aliorum morborum symptoma adest. In prima specie signa sunt languor et lassitudo generalis, cordis palpitationes, dolores dorsi, lumborum et coxarum, malacia, flatulentia, aliaque dyspepsiæ indicia. Morbo progrediente, labra colorem suum venustum

amittunt, facies quodammodo flavescit, in telam cellulosam palpebrarum, quæ mane tumidæ atque lividæ apparent, demum corporis totius serum illabitur. Pedes sub vesperem præcipuè œdemate tument, spiritus exercitatione levi quamvis festinatur, pulsus celer et exilis est.

In hoc malo curando, primum, ut robur compaginis generalis, victu nutriente, exercitatione regulari, (curâ adhibitâ ne fatigatio inducatur) et comitibus jucundis, augeatur elaborandum est; hoc consilium quoque adjuvabunt medicamenta aloetica leniter aperientia cum myrrha et amaris; tonica regulariter sumenda, presertim præparata ferri; ante hæc autem medicamina, ut ventriculus ab acore purgetur, emeticum exhibere oportebit.

Deinde ut actionem vasorum uteri, saltando, ambulando, pediluvio, semicupio, calore per vaporem aut fomenta regioni uterinæ admoto, aura electrica, et catharticis iis præsertim quæ rectum maxime afficiunt, veluti aloë et scammonio, suscitemus, conandum est.

Species altera, Amenorrhœa, scilicet, a lautè vivendo, vita simul otiosè acta, sæpe oritur; cui quidem exercitatio regularis, victus tenuis, cum modicis sanguinis detractionibus et salinis purgantibus, idonea remedia invenientur. Hæc autem mulieribus habitûs diversissimi a frigore corpori repentè admoto &c., accidere potest. Rebus se ita habentibus, mitia purgantia, vapor aquæ calidæ partibus generationi inservientibus advectus, fomenta hypogastrio apposita, balneum calidum, frictio, diæta nutriens, tonica, et emmenagoga proderunt.

Mensium fluxus molestus, sive Dysmenorrhœa, ab actione debili, vel constrictione vasorum uteri, oriri putatur, doloribus sævis dorsi et lumborum, et sæpe eliminatione membranæ deciduam, ut supra notatur, referentis, comitantibus. Hìc semicupium et opium remedia manifesta sunt. Dr Thomas extractum stramonii per doses semi-grani sæpe profecturum esse dicit, quando narcotica et anodyna cetera spem fefellerunt. Dr Dewees, Philadelphiensis se tincturam Guaiaci, ad uterum stimulandum, ut membrana decidua ejiciatur, utque ejus forma-

tioni futuræ obveniatur, plurimum valere, reperisse dicit.

Mensium profluvium ingens, sive Menorrhagia ex utravis conditionum valetudinis quàm maximè diversarum ortum suum ducere potest; plethora scilicet, ex altera parte, cum actione arteriarum insolitâ, vel, ex altera, debilitate generali. Causæ excitantes sunt venus immodicè, vel menstruis fluentibus, culta; corporis exercitatio nimia, medicamenta acriter purgantia, ictus abdomini illati, frigus cum humiditate pedibus admotum, partus frequens et difficilis, læsionesque uteri organicæ.

Siquando hoc vitium ex plethora nascitur, rigores plerumque antecedunt, doloresque capitis et lumborum, sitis, facies rubore suffusa, pulsus validus, durus; si res se ita habent, venæsectio, purgantia salina portionibus parvis et repetitis, refrigerantia, victus tenuis, astringentia vaginæ perpetuo admota, et in lecto decubitus remedia idonea invenientur. Postquam febris symptomata subacta fuerint, ad astringentia internè adhibenda, veluti Sulph: Alum: et Potassæ, Kino, Acetat: Plumbi &c. confugere licet. Opium cum refrigerantibus com

positum, siquando dolores spasmodici uterum corripiunt, adhibendum est Digitalis cum beneficio usurpari dicitur, si sat rationis est, cur actionem vasorum uteri auctam subesse credamus.

Quotiescunque menorrhagia e causis istis nascitur, quæ debilitatem generalem inducunt, pulsus exilis est et debilis, facies pallescit, spiritus acceleratur, aspectusque leucophlegmaticus generalis adest. Hìc sedantia et astringentia, postea tonica et stimulantia remedia usurpanda sunt. Lavatio frigida, equitatio, et diæta nutriens cum vino ad sanitatem perfectam restituendam conducunt. Ubi debilitas magna localis vasorum uteri subest, quæ per constitutionem affici nequit, quodvis astringens in cavum uteri injectum idoneum erit.

Menorrhagia læsionibus uteri organicis orta, plerumque immedicabilis est; ad ea igitur tantummodo, quæ morbum insanabilem saltem mitigant, veluti Opium, Extractum Conii et Hyosciamum, confugere valemus.

FINIS.